

Confirmatur haec ratio eo quod divinae operationis proprium est, ut sit ipsa Dei substantia. Creaturae contra cuiuslibet actio est in genere accidentis, quod propterea a subiecto in esse dependet. Atqui eiusmodi dependentia est contra rationem creationis. * Cum accidens, ait S. Thomas, oportet esse in subiecto, subiectum autem sit recipiens actionem; illud solum in faciendo aliquid recipientem materiam non requirit, cuius actio non est accidens, sed ipsa substantia sua; quod solius Dei est: et ideo solius eius est creare. » (Qq. Disp. Pot. q. 3. a. 4.)

II. Alterum argumentum habetur ex proprio obiecto actionis creativae, unde eius propria ratio quasi specifica accipitur. Hoc vero ut intelligatur, notandum est, illud dici proprium obiectum actionis creativae quod est *primo per se* ratio cur aliquid ea actione producat: ratio scilicet quae et necessario ponatur ex vi talis actionis in effectu producta, et ex qua intelligantur cetera quae in eodem effectu ex ea actione ponuntur. Sic ex. gr. cum

comme alle inferiori. Ora egli è manifesto, che la suprema di tutte le ragioni ha la potenza di creare, e che la sua operazione fuori di sé deve iniziarsi dal creare. Che se questa non è l'operazione sua propria, come di cagione suprema, quale altra più perfetta di questa potrà mai pensarsene? Non si perda qui di vista, che l'attività di una causa superiore deve diversificarsi da quella delle inferiori, non nella sola ampiezza, ma nella natura; ora, se consideriamo la natura dell'attività, forsechè se ne può dare una più perfetta della creativa? . Et paulo inferius sic pergit declarando propriam perfectionem actionis creativae, addita analogia propriae perfectionis actionis cognoscitivae. * Qui dobbiamo rammentare, inquit, darsi un doppio possibile: l'uno è posto nel poter essere una cosa oggetto di potenza produttiva; e questo è quello cui noi comunemente chiamiamo possibile; l'altro è in un attuale, o piuttosto è un attuale, in quanto può divenire ciò che non è; e questo si suol chiamare possibile da Aristotele. Quell'operante adunque che presuppone un possibile di questa seconda maniera, è dipendente, siccome quello, che non abbisogna di sé solamente e della sua potenza, ma al tempo stesso di un altro fuori di lui. Esso può operare solamente sotto la condizione, che un altro già attuale accogla, come soggetto, la sua azione, e quindi cooperi al divenire ed essere dell'effetto. Un tale operante adunque non può dare al suo effetto una propria sussi-

generazione producatrice triticum, ipsa tritici ratio est quae per se primo attingitur a tali actione; ratio autem viventis ex. gr. aliaeque superiores, etsi per se etiam attingantur, non tamen primo; quandoquidem a tali actione respiciuntur quae et quia inclusae in specifica ratione tritici, ut conceptus superiores in conceptu inferiori. Patet autem, ex tali obiecto dimittendam esse propriam rationem atque adeo dignitatem virtutis cuiusque effectivae. Vide quae diximus alibi [Pr. Ph. 683].

Hoc posito, in argumentum. Ratio sub qua effectus per creationem effectus primo et per se attingitur, est omnium universalissima quae possit esse terminus actionis effectivae. Atqui causa eo est universalior, quo universalior est ratio sub qua effectum suum primo et per se respicit. Ergo causa creativa est omnium universalissima. Patet autem, causam eiusmodi esse unum Deum. Ergo unus Deus potest esse Creator. Assumptio huius argumenti nota est ex proportione quae intercedere debet inter

stenza; ma esige anzi un sustrato, in cui questo sussista. Con ciò va di necessità congiunto eziandio un restringimento; stantechè non ogni soggetto è acconcio a ricevere una qualsiasi azione. Qui pertanto abbiamo la dipendenza, che rende imperfetto l'operare, la quale deve trovarsi in ogni operare, che sia non creare, ma solo immutare o trasformare. Come dunque il conoscere è imperfetto dal procedere per un infusso dell'oggetto; e però il conoscente è altresì sempre in condizione di recettivo e di passivo: così l'operare al di fuori è imperfetto per essere solamente possibile, quando venga ricevuto da un già esistente; e per conseguenza questo dall'operante riceve e patisce. Ma l'azione creativa che dal nulla chiama all'essere nature per sé sussistenti, è affatto libera ed indipendente. Essa non presuppone alcuna possibilità fuori di sé, ma solo quella che è posta in lei medesima, cioè nella sua potenza. Una siffatta azione pertanto, chi voglia paragonarla all'operare interno, risponde a quel conoscere e volere, che ha bensì per oggetto ciò che è fuori del conoscente e del volente, ma si effettua senza alcun infusso di quello; e come questo interno operare, così quell'esterno non può aver luogo, se non in colui, che basta a sé stesso, e nella sua vita non meno, che nel suo essere, è libero ed indipendente. . (Filosofia antica, tratt. 9. n. 1014.)

causam et proprium ipsius effectum. Propositio autem videtur communi naturae sensu nota. Quum enim aliquid fit ex nihilo, sponte naturae quod primo intelligimus poni ex vi talis actionis in effectu, est ipsum esse per se et absolute; quod vero esse sit hoc vel tale, id non nisi consequenter intelligimus, ex necessaria scilicet specificatione et individuazione quam postulat quidquid actu in rerum natura invenitur. Atqui manifestum est, hanc rationem esse omnium universalissimam quae possit respici a virtute effectiva, prout eiusmodi; siquidem est ipsa ratio entis participati, ut sic. Et huc redit argumentatio B. Thomae.

* Respondeo dicendum, quod satis apparet in primo aspectu secundum praemissa (a. 1. h. q.), quod creare non potest esse propria actio nisi solius Dei. Oportet enim, universaliores effectus in universaliores et priores causas reducere. Inter omnes autem effectus universalissimum est ipsum esse. Unde oportet quod sit proprius effectus primae et universalissimae causae, quae est Deus... Producere autem esse absolute, non in quantum est hoc vel tale, pertinet ad rationem creationis. Unde manifestum est, quod creatio est propria actio ipsius Dei. * (*Summa th.* I. p. q. 45. a. 5.) Eandem rationem videtur tetigisse Augustinus, quum ait: *Angeli nullam omnino creare possunt naturam; solus enim unus cuiuslibet naturae seu minimae creator est Deus... Creare naturam tam nullus Angelus potest, quam nec seipsum.* (Lib. 9. *De Gen. ad lit.* c. 15.)

Solvuntur difficultates

542. **Obiectio I.** — Quanto maior est resistentia ex parte facti, tanto maior virtus requiritur in faciente. Sed plus resistit contrarium quam nihil. Ergo maioris virtutis est aliquid facere ex contrario, (quod tamen creatura facit), quam aliquid facere ex nihilo. Multo magis igitur creatura hoc facere potest.

Respondeo. Huic difficultati quae proponitur a sancto

Thoma, sic ipse respondet. * Dicendum quod ex contrario fit aliquid per accidens, ut dicitur in 1. *Physic.* tex. 43, seqq. Per se autem fit aliquid ex subiecto quod est in potentia. Contrarium igitur resistit agenti, in quantum impedit potentiam ab actu, in quem intendit reducere materiam agens: sicut ignis intendit reducere aquam in actum sibi similem, sed impeditur per formam et dispositiones contrarias quibus quasi ligatur potentia, ne reductur in actum; et quanto magis fuerit potentia ligata, tanto requiritur maior virtus in agente ad reducendam materiam in actum: unde multo maior potentia requiritur in agente, si nulla potentia praexistat. Sic ergo patet, quod multo maioris virtutis est facere aliquid ex nihilo quam ex contrario. * (*Summa th.* I. p. q. 45. a. 5. ad 2.) Sic igitur *distingues* propositionem recitati argumenti. Quanto maior... tanto maior requiritur virtus in faciente per se, *conc.*; per accidens, *neg.* Similiter *distingues consequens*. Si spectetur virtus quae per accidens concurret ad rei effectivam, *conc.*; si consideretur virtus quae per se requiritur, *neg.* Scilicet in creatione ex nihilo nulla certe requiritur virtus ad vincendam resistentiam contrarii; creatio siquidem non est mutatio: at summa requiritur virtus, ut quod est in pura potentia obiectiva, ad essendi actum traducatur. Certe quidem, si quis bene consideret, non minus elongata invenitur a tali actu natura creaturae, ut ut minimae, quam creaturae excellentissimae, si ambae inveniantur in pura potentia obiectiva. Quare virtus quae unam, etiam alteram poterit reducere in actum. Patet autem, virtutem eiusmodi esse excellentissimam plane atque adeo illimitatam.

Obiectio II. — Virtus facientis aestimatur secundum mensuram eius quod fit. Sed creatione producitur aliquid finitum. Ergo virtus finita sufficit.

Respondeo. *Dist. mai.* Tantum, *neg.*; etiam, *subdist.*; si id quod fit materialiter spectetur, *neg.*; si spectetur formaliter, h. e. secundum rationem *sub qua per se primo* respicitur a faciente, *conc. Contradist. min.* Ita ut modus agendi sit etiam perfectionis finitae, *neg.*; ita ut sit finitus

ipse terminus huius actionis, *subdist.*; si spectetur materialiter, *conc.*; si spectetur formaliter, secundum rationem scilicet *sub qua per se primo* a creatione respicitur, *neg.* Sub data *dist. neg. consequens.*

Ut dictum est in probatione thesis, proprium seu formale obiectum actionis creativae est ens participatum, prout huiusmodi. Haec vero ratio est infinita syncategorematicae, pro eo quantum respicit omnia possibilia; ac propterea solius omnipotentiae divinae est obiectum. Modus praeterea agendi in creando est plane independens, ut probatum est: unde convenire nequit, nisi enti plane independenti, quod unus est Dens.

Instabis. Vis creandi non magis respicit ens factum, prout huiusmodi, ac vis ex. gr. vegetativa vivens ut sic. Atqui vis vegetativa non debet posse necessario producere omne vivens. Ergo neque vis creativa omne creabile.

Respondeo. *Nego maiorem.* Disparitas est, ut in ipsa probatione thesis indicavimus. Vis enim vegetandi, ut quaecumque alia quae in praeiacentem materiam exercetur, actionem habet suapte natura dependentem a potentia materiae quam praerequirat quae in actum formae reduci debet. Per se itaque coarctatur ac restringitur ab hac ipsa potentia quae actuari debet: potentia siquidem evadendi triticum ex. gr. non est potentia evadendi quereus, et ita porro. Quoniam vero gradus superiores per se includuntur in inferioribus, hinc *per se* etiam, tametsi non *primo*, dici possunt respici a tali virtute transformativa: et hoc modo vis vegetandi quae est in planta determinata, attingendo rationem plantae suae speciei, consequenter attingit etiam rationem viventis, corporis, substantiae, et entis. At contra vis creativa absolute producit rem secundum se totam, quin ulla praecedat determinatio quae actionem restringere intelligatur. Hinc fit quod ratio individualis et specifica quae est in unoquoque ente creato, consequatur ex eo quod producat ens ut sic: dum contra, in generatione viventis, ratio viventis, ut sic, consequitur ex eo quod producat hoc aut illud vivens.

Urgebis. Nihil prohibet, quominus vis creativa alicui

creaturae communicata intelligatur per se ipsa restricta et limitata ad aliquem ordinem creaturarum duntaxat. Ergo non necessario per se primo respicere debet ens participatum ut sic. Praeterea, etsi est independens a subiecto praeiacente, erit tamen dependens pro eo quantum et a Deo supponitur data, et ipsius cooperatione indiget ut exerceatur. Non est itaque actio suapte natura omnino independens.

Respondeo. *Nego utrumque antecelens.* Quemadmodum intelligere per se primo respicit ens, in quantum ens, ita creare respicit ens factum, ut sic, quasi proprium obiectum. Quemadmodum igitur non potest communicari alicui virtus intelligendi cuius obiectum adaequatum non sit ens in tota sua latitudine, sic etiam repugnat vis creativa quae ut adaequatum obiectum respicial aliquid determinatum creabile et non cetera. Ob eandem rationem contradictio cernitur in actione quae dicitur independens quidem a subiecto, minime vero independens hoc vel illo titulo (1).

Obiectio III. — Saltem non videtur negandum, actionem creandi, etsi uno Deo sit connaturalis, media tamen creatura exerceri posse *instrumentaliter*. Causa si-

(1) Apposite rursus I. Kleutgen. * Ben fu dimostrato abbastanza che una tale operazione (creativa), nella sua specie, cioè come operazione fuori dell'operante, è di sua natura la perfettissima che si possa pensare. Ma quanto pare così non fosse, dalla maniera tuttavia, onde si difende quella virtù creativa albergente nelle creature, si dedurrebbe non potersi dare una tanto perfetta operazione, che fosse propria di Dio e non potesse altresì essere naturale alle creature, se non nell'ampiezza, certo nell'essenza. Di fatti a rispetto di qualsiasi altra facoltà si potrebbe dare la medesima risposta: quella essere diversa, perché la potenza di così operare sarebbe alla creatura conferita da Dio. Lo spirito pertanto avrebbe un'attività, che non si potrebbe avere da una natura sensitiva, finché questa rimane quello che è; il bruto ne avrebbe una, che non si potrebbe partecipare alla pianta, finché questa rimane quello che è; ma Dio non avrebbe un'operazione, la quale non si potrebbe comunicare alla creatura, senza che questa cessasse di essere creatura!., (loc. cit. n. 1016.)

quidem instrumentalis assimilat effectum non sibi, sed principali causae ex cuius virtute movetur et applicatur ad agendum.

Respondeo. *Nego assumptum.* Ad eius probationem dico, causae instrumentali in signo priori ad suam elevationem quam habet a causa principali, convenire debere virtutem aliquam *intra cuius obiectum adaequatum* continetur id ad quod elevatur per causam principalem. Secus, ut optime arguit S. Thomas: *Frustra adhiberetur ad agendum, nec oporteret esse determinata instrumenta determinatarum actionum.* (*Summa th. 1. c. Cf. Caietanum in h. l.*) Atqui obiectum proprium virtutis creatricis praetergreditur obiectum adaequatum cuiuslibet virtutis finitae; haec siquidem nequit respicere, nisi quod in potentia alicuius causae materialis continetur. Ergo vel concedere oportet virtutem ipsam creandi creaturae communicari posse, vel negare oportet, creaturam assumi posse per modum instrumenti divinae virtutis ad talem actionem exercendam. Primum vero dici non potest ex his quae ante disputavimus. Sermo est, ut patet, de creatura *physice cooperante*: nihil quippe vetat, quominus creatura aliquid efficiat in hoc negotio vel moraliter, puta per preces, vel etiam disponendo materiam actuandam per formam quae sola creatione fieri possit, ut contingit in generatione hominis.

SECTIO IV.

An creatio sit aut esse potuerit ab aeterno.

543. **Mundum initium durationis habuisse, qua via dignosci valeat.** — Cum praecedente quaestione de natura actionis creativae proxime conserta est altera, in qua de durationis initio rerum creaturarum agitur, quaeque eo diligentius tractanda venit, quo videmus praestantissimos

etiam inter philosophos longissime hac in re a veritate aberasse. Age vero, e duplici certitudinis adipiscendae modo, fidei scilicet divinae, et naturalis evidendae, nullum plane dubium in praesenti relinquitur, si prior attendatur. Etenim divina et catholica fide constat, *unum Deum* initium durationis non habuisse, cetera vero omnia *ab initio temporis* fuisse condita. (Lateranense IV. c. *Firmiter.*) Quod si alia via in huius virtutis inquisitione incedatur, ea certe detegi minime potest rem considerando a *posteriori* duntaxat. Quod enim aliqui ex geologicis observationibus, et novitate artium scientiarumque ad creationis initium ostendendum usurpant, argumentum quidem est negativum, minime vero positivum. Ut enim notavit S. Thomas: *Ponentis aeternitatem mundi ponunt aliquam regionem infinitis esse mutatam de inhabitabili in habitabilem, et e converso: et similiter ponunt, quod artes propter diversas corruptiones et accidentia infinitis fuerunt inventae et iterum corruptae.* Unde Aristoteles dicit in lib. 1. Meteor. cap. ult., quod ridiculum est ex huiusmodi particularibus mutationibus opinionem accipere de novitate mundi totius. (*Summa th. 1. p. q. 46. a. 2. ad 4.*) Relinquitur idcirco unum medium *a priori*, ex perspectiva scilicet essentiali ratione rerum factarum, prout huiusmodi. Si enim consiterit, repugnantiam conceptum inveniri in eo quod ponatur rerum universitas facta cum initio durationis, affirmare consequenter oportet, mundum fuisse semper: et id conatus est probare Aristoteles (8. *Physic.*). Quod si contra eiusmodi repugnantia non existat, sed ostendatur potius, repugnantiam terminorum in contraria hypothesi elucere, qua nimirum concederetur existentia mundi sine durationis initio, eo ipso naturali rationis lumine constaret, mundum non ab aeterno sed in tempore fuisse conditum. Quod si neque hoc demonstratur, sed eiusmodi aeterna mundi antiquitas rationi offeratur ut quid mere contingens, seu de se indifferens ad utrumlibet, eo ipso interclusa manet omnis naturalis via certitudinis in hac re adipiscendae, et unice ex principis divinae revelationis quaestio dirimi deberet.

544. **Approbatur sententia B. Thomae de possibilitate aeternae creationis.** — Porro quod ultimo loco diximus, mihi longe verius videtur, adeoque adhaereo hac in re etiam sententiae Aquinatis. Id enim sic breviter et efficaciter probat. * Novitas mundi non potest demonstrationem recipere ex parte ipsius mundi. Demonstrationis enim principium est quod quid est: unumquodque autem secundum rationem suae speciei abstractit ab hic et nunc; propter quod dicitur quod universalia sunt ubique et semper: unde demonstrari non potest, quod homo aut coelum aut lapis non semper fuit. Similiter etiam neque ex parte causae agentis quae agit per voluntatem. Voluntas enim Dei ratione investigari non potest, nisi circa ea quae absolute necesse est Deum velle: talia autem non sunt quae circa creaturas vult, ut dictum est q. 19. a. 3. Potest autem voluntas divina homini manifestari per revelationem, cui fides immititur. Unde mundum incoepisse est credibile, non autem demonstrabile vel scibile. *Et hoc utile est, ut consideretur, ne forte aliquis, quod fidei est, demonstrare praesumens, rationes non necessarias inducat, quae praebeant materiam irridendi infidelibus existimantibus nos propter huiusmodi rationes credere quae fidei sunt.* (Summa th. 1. p. q. 46. a. 2.)

Nec enervari potest allata probatio dicendo, impossibilitatem creaturae ab aeterno existentis demonstrari ex conceptu *existentiae ab aeterno*, qui videtur repugnare notioni *creaturae*. Nam demonstratio istiusmodi duci posset vel ex conceptu *entis creati, ut sic*, quod videlicet sit ex nihilo productum; vel ex *notione sive contingentiae sive mutabilitatis*, quae per se necitur cum generali ratione entis creati. Atqui argumenta id genus probabilia quidem sunt (1), sed non cogentia: probabilem quippe solutionem

(1) Id concedit B. Thomas. * Has autem rationes, inquit, quia usquequoque non de necessitate concludunt, licet *probabilitatem habeant*, sufficit tangere solum, ne videatur fides Catholica in vanis rationibus constituta, et non potius in solidissima Dei doctrina. » (2. Cont. Gent. c. 38.)

patiantur. Etenim imprimis merito negari potest, conceptum creationis per se involvere notionem *actualis initii in duratione*. Nam res eo dicitur creata, quod secundum totam suam substantiam procedat a Deo, sicut a causa efficiente. Sed totus hic conceptus veritatem habet cum sola naturae prioritare in Deo respectu totius esse rei creatae: prioritares vero naturae non necessario exigit prioritatem etiam in duratione, quum agitur de actione quae exercetur sine motu, ut contingit in creatione. Nec magis proficit argumentatio petita ex conceptu *contingentiae*: haec enim ratio absolute cohaeret etiam cum aeternitate mundi. Et re quidem vera, nonne decretum divinae voluntatis, quo *ab aeterno disposuit*, ut mundus in tempore existeret; item scientia visionis qua Deus *ab aeterno praevidit* mundum exiturum: nonne hoc decretum, haec scientia, terminative si inspiciantur, sunt aeterna, tametsi contingentia? Aeterna quidem, quia ab aeterno Deus sic disposuit, ac praevidit: contingentia vero, siquidem potuisset res aliter habere, cum haec voluntas et haec scientia sint Deo libera. Postremo, illud quod additur de *mutabilitate* creaturae, et ipsum probabilem habet solutionem. Tota enim vis istius rationis in eo nititur, quod absolute repugnet *multitudo sine numero*, quae ceteroquin in dicta hypothesi concedi deberet saltem ut possibilis. At enim, etiamsi permittatur huius illationis seu *consequentiae* evidentialia, quam tamen Doctor Eximius inficiatur (*Metaph.* D. 20. sect. 6. n. 11. seqq.), est ne adhuc demonstrative probatum, absolute repugnare multitudinem istiusmodi, *innumerabilem* nimirum, seu prout definit Philosophus [*Pr. Ph.* 582, 1], cuius *secundum quantitatem accipientibus semper est aliquid extra accipere?* Ad me quod attinet, candide fateor, nullam probationem huius generis huc usque inveni, quae retorqueri non possit contra multitudinem sive possibilem sive futurorum, quae Deus distinctissime cognoscit, quae multitudine profecto, prout actu obijcitur divinae menti, etsi numero caret, non propterea rem sibi contradicentem constituit. * Quod autem, addit I. B. De Benedictis, ex adversariis nonnulli volunt in praesenti nos premere argumento calculatorio, mira-

hiles plane sunt qui credant, posse infinitum ad calculos revocari. (*Phis. Peripat.* to. 3. lib. 1. q. 1. c. 3.)

Instabis. In hypothesei creaturae ab aeterno existentis, nunquam praecessisset actio divina in ratione creationis, quin existerit simul et semper in ratione conseruationis. Atqui id videtur repugnare.

Respondeo. *Conc. mai., nego tamen minorem esse evidentem.* Quod enim dicitur in maiore, est ipsa hypothesis de qua disputatur, ideoque non potest assumi quasi sit aliquid absolute et evidenter contradictorium, nisi supponatur probatum et demonstratum id ipsum, quod probatione et demonstratione indiget. Apposite proxime laudatus Auctor monet argumentem, "ne sibi ex prava imaginatione fingat, rem ab aeterno in certo aliquo et determinato instanti creatam: de quo instanti quaerat, utrum ante, vel post, vel in ipso potuerit creatura non poni. Quae sane imaginatio est in terminis repugnans: hoc enim est producti ab aeterno, producti ante quodlibet determinate signabile instans, adeoque per productionem, quae pura productio nunquam sit, sed simul sit conseruatio." (*loc. cit.* c. 2.) Confer etiam quae scite observat profundissimus Franciscus Amici (*Theol.* to. 1. D. 7. sect. 3.)

Atque haec dicta sufficient de domestica hac controversia. Illud longe gravius venit modo disputandum, utrum scilicet mundum ab aeterno fuisse, nedum possibile, sed necessarium etiam dicere oporteat.

THESIS XXV.

Naturali ratione est plane evidens, nullam dari necessitatem, cur mundus aut creatura aliqua semper fuerit: quin divinae gloriae manifestandae convenientius addicatur, ut nihil praeter Deum existat quod initiatione durationis non habuerit.

545. *Demonstratio I. partis.* — Si qua enim in re praesenti necessitas existeret, ea haberetur ex ipsis essentialibus mundi seu creaturae characteribus, vel ex ipsius causa efficiente vel finali. Sic enim contingit aliquid dici necessarium [*Pr. Ph.* 616, I, nota]. Atqui nihil horum existit. Prob. hoc per partes.

I. Ac primo quidem non potest necessitas essendi profluere ex ipsa mundi seu cuiusque creaturae essentia. Quod enim ex se non habet ut sit, multo minus ex se habere potest ut semper sit, quod est notum ex terminis. Atqui solus Deus ex se habet ut sit, cetera vero omnia secundum totum suum esse sunt a Deo facta, ut ante demonstratum dedimus [517, seqq.]. Ergo impossibile est, ut essendi necessitas fluat ex ipsa mundi seu cuiusque creaturae essentia.

II. Nequit deinde haec necessitas haberi ex causa mundum efficiente. Etenim, ut arguit S. Thomas: "Ex efficiente sequitur, quod effectum necesse sit esse, per hoc quod agentem necesse est agere; per actionem enim agentis effectus a causa efficiente dependet. Si igitur agentem non necesse sit agere ad productionem effectus, nec effectum necesse est esse absolute. Deus autem non agit ex aliqua necessitate ad creaturarum productionem, ut supra ostensum est. Non est igitur absolute necesse creaturam esse, necessitate dependente a causa efficiente." (*2. Cont. Gent.* c. 31.)

III. Nec potest denique haec necessitas repeti a finali causa mundi, quasi scilicet Deus, etsi libere velit condere mundum, supposita tamen hac voluntate, necessitetur ad aeternam creationem ob necessariam connexionem eiusmodi creationis cum fine propter quem operatur. Ratio est, quia, ut ex praedictis patet, hic finis non est alius ab ipsa divina bonitate, secundum quod manifestatur ad extra per bona quae creaturis communicantur. Atqui ad hanc manifestationem divinae bonitatis non est necessarium, ut creatura aliqua semper fuerit, immo apprime conducit quod in tempore creetur. * Sicut enim, egregie notavit Angelicus, propter seipsum (Deus) res fecit, ut in eis suae bonitatis similitudo manifestaretur, ita eas voluit non semper esse, ut sua sufficientia manifestaretur in hoc, quod omnibus aliis non existentibus, ipse in seipso omnem sufficientiam beatitudinis habuit et virtutis ad rerum productionem. » (8. *Physic.*, lect. 2.) Accedit, quod si ipsa rerum creatio non necessario connectitur cum divina bonitate, eo quod haec sit plane independens et sibi sufficientissima [503], ob eandem profecto rationem nec necessario connexa cum divina bonitate dici debet creatio ab aeterno, etiamsi possibilis foret. Si enim nihil deperit de divina bonitate, quod creatura nunquam existat, a fortiori id ipsum dicendum in hypothesi, quod aliquando dumtaxat non extiterit.

546. **Demonstratio II. partis.** — Luculenter eam his verbis conficit B. Thomas. * Omne enim agens, ait, producens effectum in participationem suae formae, intendit in eam inducere suam similitudinem. Sic igitur divinae voluntati conveniens fuit in suae bonitatis participationem creaturam producere, ut sua similitudine divinam bonitatem repraesentaret. Non autem potest esse talis repraesentatio per modum aequalitatis, sicut effectus univocus suam causam repraesentat, ut sic oporteat ab infinita bonitate aeternus effectus produci, sed sicut excedens repraesentatur ab eo quod exceditur. Excessus autem divinae bonitatis supra creaturam per hoc maxime exprimitur, quod creaturae non semper fuerunt. Ex hoc enim

apparet expresse, quod omnia alia, praeter ipsum, eum habent sui esse auctorem, et quod virtus eius non obligatur ad huiusmodi effectus producendos, sicut natura ad effectus naturales; et per consequens, quod est voluntate agens et intelligens. Quorum contraria quidam posuerunt, aeternitatem mundi ponentes. » (2. *Cont. Gent.* c. 35.)

Solvantur difficultates.

547. **Obiectio I.** — Quandocumque existit actio, existit etiam eius effectus, praesertim si procedat a causa sufficientissima et efficacissima. Atqui actio creativa, utpote identificata cum divina substantia, ab aeterno existit. Ergo creatura similiter.

Respondeo I. Hoc argumentum sane nimium probat. Cum enim nihil existat, nisi Deo operante vel cooperante, si ex aeternitate divinae actionis licet inferre aeternitatem etiam sui termini ad extra, non solum aliqua creatura, sed omnia omnino quae existunt, sempiternam sui esse durationem sibi vindicarent. Hoc vero manifestissimae et quotidianae experientiae sive externae sive internae contradicit, quae essendi novitatem in rebus plane innumeris ostendit.

Respondeo II. *Dist. mai.* Si sermo sit de actione quae media sit inter causam et effectum, et ab effectu speciem sortiatur, qualis est actio creaturae, *concl.*; si sermo sit de actione divina, cui neutrum convenit, *neg. Concl. min.* Sub data dist. *neg. conseq.*

* Ostensum est enim, ait S. Thomas, quod Deus agit voluntarie in rerum productione, non autem ita quod sit aliqua actio ipsius media, sicut in nobis actio virtutis motivae est media inter actum voluntatis et effectum, ut in praecedentibus ostensum est; sed oportet quod suum intelligere et velle sit suum facere. Effectus autem ab intellectu et voluntate sequitur secundum determinationem intellectus et imperium voluntatis. Sicut autem per intel-

lectum determinatur rei factio et quaecumque alia conditio, ita et praescribitur ei tempus. Non enim solum ars determinat, ut hoc tale sit, sed ut tunc sit; sicut medicus, ut tunc detur potus; unde si eius velle per se esset efficax ad effectum producendum, sequeretur de novo effectus ab antiqua voluntate, nulla actione de novo existente. Nihil igitur prohibet dicere, actionem Dei ab aeterno fuisse, effectum autem eius non ab aeterno, sed tunc cum ab aeterno disposuit. Ex quo etiam patet, quod, etsi Deus sit sufficiens causa productionis rerum in esse, non tamen oportet quod eius effectus aeternus ponatur. . . . Posita enim causa sufficiente, ponitur eius effectus, non autem effectus extraneus a causa; hoc enim esset ex insufficientia causae, ac si calidum non calefaceret. Proprius autem effectus voluntatis est, ut sit hoc quod voluntas vult; si autem aliquid aliud esset quam voluntas velit, non poneretur effectus proprius causae, sed alienus ab ea: voluntas autem, sicut dictum est, sicut vult hoc esse tale, sic vult hoc esse tunc: unde oportet ad hoc quod voluntas sit sufficiens causa, quod effectus sit quando voluntas est ut sit, et quando voluntas effectum esse disposuit. (loc. cit.) Ex hoc ipso patet discrimen alterum quod notavimus inter agere divinum et agere creaturarum. Actio enim creaturae propriam speciem recipit secundum transcendentalem ordinem quem habet ad effectum ex eius efficacia fluentem: unde nihil mirum, si ea non possit intelligi posita in natura rerum, quin eo ipso intelligatur posita eius effectus. Actio contra divina, sicut ipsum divinum velle et intelligere, eiusmodi specificationem seu relationem non habent, utpote supra totum ordinem constituta rerum creaturarum. Sicut igitur divinum intelligere et divinum velle, enitativa spectata, eadem permanerent, tametsi ad obiecta contingentia non terminarentur actu [505], similiter et divinum facere.

Instabis. Si ita res haberet, Deus esset ab aeterno Creator. Atqui hoc est attributum quod non nisi in tempore de Deo praedicatur.

Respondeo. *Nego maiorem.* Nomen quippe Creatoris,

Domini, aliaque his gemina, praeter divinam substantiam, important in suo significato habitudinem seu relationem qua creaturae referuntur realiter ad Deum. Ex tempore proinde de Deo dicuntur, sicut haec ipsa habitudo quam important. Confer S. Thomam (*Summa th.* 1. p. q. 13. a. 7. ad 1. et 3.).

Obiectio II. — Omne quod fit, antequam existat, possibile fuit ipsum esse. Atqui quod possibile est esse, dicitur ens in potentia, sicut materia. Ergo mundi effectio subaudit materiam, quae proinde aeterna sit oportet, ni detur processus in infinitum.

Ante responsionem observo, etiam hoc argumento minium, adeoque nihil evinci. Si quid enim valeret, non tam aeterna creatio ostenderetur, sed ipsa potius huius actionis existentia impeteretur, probata scilicet necessitate materiae praesuppositae ad cuiuslibet effectiois possibilitatem. Et haec est ratio quamobrem ante [336, nota] cum B. Bonaventura monuimus, valde dubium esse, num Aristoteles rectam creationis notionem habuerit. Hoc enim aliaque huic similia sophismata urgere solet. Quocirca

Respondeo. *Dist. mai.* Potentia logica, consistente in habitudine terminorum qui contradictionem minime involvant, *conc.*; potentia aliqua reali et physica, *subdist.*; causae agentis *conc.*; causae materialis, *rursus dist.*; si sermo sit de effectioe eductiva, *conc.*; si sermo sit de effectioe qualibet, *neg. Contradist. pariter minorem.*

Distinctio satis liquet ex his quae dicta sunt tum in sectione praecedente, tum in Philosophia Prima [563, 565]. Quocirca S. Thomas: "Antequam, aut, mundus esset, possibile erat mundum esse: non tamen oportet, quod aliqua materia praeexistere in qua potentia fundaretur. Dicitur enim 5. Metaph. text. 17. aliquid aliquando dici possibile, non secundum aliquam potentiam, sed quia in terminis ipsius enuntiabilis non est aliqua repugnantia, secundum quod possibile opponitur impossibili. Sic ergo dicitur, antequam mundus esset, possibile mundum fieri, quia non erat repugnantia inter praedicatum enuntiabilis et subiectum. Vel potest dici quod erat possibile propter po-

lentiam activam agentis, non propter potentiam passivam materiae. (Qq. Disp. *Phil.* q. 3. a. 1. ad 2.)

Instabis. Nihil est dum fit. Ergo in omni effectione opus est rei efficiendae praecessitat aliquod factionis subiectum seu materia.

Respondeo. *Dist. antec.* In his quae fiunt cum motu, *conc.*; si res fiat sine motu, ut in creatione, *neg.* *Dist. pariter consequ.* Patet distinctio ex dictis [538]. Apposite rursus Angelicus. * Id quod fit ex nihilo, dicitur fieri quando factum est, non secundum motum qui est ab uno termino in alterum, sed secundum effluxum ab agente in factum. Haec enim duo in generatione naturali inveniuntur, scilicet transitus de uno termino in alterum, et effluxus ab agente in factum, quorum alterum tantum proprie est in creatione. (loc. cit. ad 11.)

Obiectio III.—Necesse est, tempus semper fuisse. Ergo similiter motus, adeoque mundus numquam incepit. Prob. antec. Ante quodlibet instans signatum in tempore datur aliquod prius; secus nec dici posset *mundus priusquam fieret*. Sed prius et posterius sunt differentiae temporis. Ergo ante quodlibet instans signatum in tempore datur tempus, quod propterea semper fuisse dicendum est. Ita Philosophus (12. *Metaph.* c. 6., 8. *Phys.* c. 1.)

Respondeo. *Neg. antec.* Ad probationem *dist. mai.* Ante quodlibet instans signatum in tempore datur aliquod prius, si *τὸ prius* designet durationem divinae aeternitatis, *conc.*; si *τὸ prius* designet differentiam praeritum secundum temporis successionem, *subdist.*; hanc differentiam accipiendo in tempore aliquo reali, *neg.*; hanc differentiam accipiendo in tempore imaginario, *conc.* *Conc. min.* *Dist. pariter consequ.* Ante quodlibet instans signatum in tempore datur tempus imaginarium, *conc.*; reale, *neg.*

Ad rem Suarez. * Totus hic discursus (Aristotelis) revocat ad illam propositionem, quod sine tempore non est prius et posterius, et ideo non potest dari initium temporis. Quae ratio quoad hoc ultimum valde frivola est. Quia si modo nostro concipiendi loquamur, praeter prius et posterius reale, imaginarium concipitur, et ita

potuit tempus reale habere initium, ante quod non fuerit: illud vero *ante* non significat tempus reale, sed imaginarium tantum. Si autem loquamur secundum rem, ante hoc praecessit infinita aeternitas, cui hoc tempus non semper coëxistit, et sic illud *ante* non dicit tempus prius, sed aeternitatem quae in Deo praëxistit quando tempus non erat. Itaque processus Aristotelis nec firmus est nec necessarius. (Metaph. Index in *Metaph.* Arist. Lib. 12. c. 6.) Confer quae ante diximus [199]: item S. Thomam in cit. test. Aristotelis.

Instabis. Nequit intelligi dari reipsa tempus nisi secundum aliquod *nunc*. Sed omne *nunc* est simul principium et finis temporis. Ergo ante omne *nunc* praecessit tempus realiter existens.

Respondeo. *Nego minorem.* Ut in continuo permanenti praeter indivisibilia continuantia dantur etiam indivisibilia mere terminantia, item in continuo fluente quod dicitur tempus. Quare *nunc* illud indivisibile in quo absolute intelligitur tempus incipere, est quidem principium sed non finis in successione; quemadmodum e converso, cum tempus desinit, ultimum instans erit quidem finis sed non principium. Confer quae diximus [196]. Nec refert quod omne instans concipiatur ut quid *fluens*. Ut enim observat S. Thomas: * *Nunc* numquam intelligitur ut stans, sed semper ut fluens, non *autem* ut fluens a priori, nisi motus praecedat, sed in posterius; nec iterum in posterius, sed a priori, nisi motus sequatur. Unde si nunquam sequeretur vel praecederet motus, *nunc* non esset *nunc*. Et hoc patet in motu particulari qui sensibiliter incipit, cuius quodlibet momentum est fluens, et tamen aliquod est primum et aliquod ultimum, secundum terminum a quo et in quem. (2. *Dist.* 1. q. 1. a. 5. ad 6.)

Instabis demo. Quum supponitur initium temporis, necessario concipi debent duo instantia distincta, quorum alterum designet ultimum non esse ipsius rei quae fit, alterum vero designet primum esse eiusdem. Atqui inter quaelibet duo instantia datur tempus. Ergo impossibile est concipere initium temporis.

Respondeo. *Dist. mai.* Sic tamen, ut haec bina instantia sint ambo realia, *neg.*; ita ut alterum sit imaginatum, alterum vero reale, quae propterea minime continentur ad invicem, *conc. Contradist. min.* Si sermo sit de instantibus quae invicem continentur, *conc.*; si sermo sit de instantibus quae non sint eiusmodi, *neg.*

Quemadmodum duae lineae actu divisae bina exhibent puncta, quorum unum est terminus unius, alterum principium alterius, quae puncta nihil prohibet sint *simul*, quin propterea linea interiaceat: simili modo si invicem comparentur bina instantia, quorum unum sit terminus unius motus, alterum principium alterius, non opus est ut inter utrumque motum interiacere intelligatur alius motus. Porro sic se habent duo illa instantia quorum fit mentio in proposita instantia. Etenim instans illud in quo concipitur ultimum non esse motus seu temporis incipientis, est quoddam instans imaginatum, quasi terminus scilicet successioneis possibilis immediate antecedentis: instans contra in quo concipitur motus primo incipere est reale, ipsum scilicet initium temporis realis. Constat autem instantia id genus non posse concipi quasi *continua*; sunt enim *contigua* dumtaxat, inter quae propterea non debet interiacere motus adeoque nec tempus.

SECTIO V.

De divina Providentia, universe ac generatim.

548. **Complexio eorum quae sequuntur.** — Ut initio huius Disputationis polliciti sumus [516], agendum superest de altera Dei actione qua ea quae condidit, tuetur et ad proprium uniuscuiusque finem promovet et dirigit, quaeque generali nomine *gubernatio* nuncupatur. In hac porro tractatione, satis ampla profecto, quae potiora sunt

hac via dicemus. Primo quidem divinae gubernationis opus universe contemplabimur, eiusque veritatem vindicabimus. Tum vero tres eius quasi partes examinabimus. Prior respicit divinam conservationem, qua ea quae condidit Deus, tuetur ne in nihilum relabantur. Altera complectitur generalem cooperationem qua Deus iisdem opitulatur, quo proprias actiones exercere possint quibus ad suos fines diriguntur. Ad postremam denique pertinent effectus divinae gubernationis supermundani, quibus res creatae, rationales praesertim, ad altiore finem a Deo evehuntur, quam connaturalis eisque debitus agendi modus exigat. Si theologos ageremus, huic uni tractationi ingens volumen vix aut ne vix quidem pro merito sufficeret. Quoniam vero philosophicae res est tractanda, et ad philosophicam institutionem accommodate, perbreves, quantum materia et perspicuitas patitur, esse laborabimus.

549. **Providentiae divinae nomine quid proprie intelligatur.** — Ut igitur a nominis interpretatione more consueto exordiamur, providentia, quasi *procul videntia*, est, quemadmodum ait Angelicus: "principalis pars prudentiae ad quam aliae duae partes ordinantur, scilicet memoria praeteritorum et intelligentia praesentium; prout ex praeteritis memoratis et praesentibus intellectis, coniectamus de futuris providendis. Prudentiae autem est, secundum Philosophum in 6. Ethic. c. 12., ordinare alia in finem, sive respectu sui ipsius, sicut dicitur homo prudens qui bene ordinat actus suos ad finem vitae suae; sive respectu aliorum sibi subiectorum in familia vel civitate vel regno: . . . et secundum hunc modum prudentia vel providentia Deo convenire potest. Nam in ipso Deo nihil est in finem ordinabile, cum ipse sit finis ultimus. Ipsa igitur ratio ordinis rerum in finem providentia in Deo nominatur. Unde Boëthius 4. de Consol. pr. 6. dicit, quod *providentia est ipsa divina ratio in summo omnium principe constituta quae cuncta disponit.* (Summa th. I. p. q. 22. a. 1.)

Hinc inferitur primo, providentiam, formaliter si spectetur, sedem habere in intellectu potius quam in volum-

tate, quemadmodum ipsa prudentia cuius est pars. Se habet enim per modum cuiusdam enuntiabilis practici: enuntiabilia vero formaliter sunt in intellectu. Subaudit tamen actum voluntatis tendentis in finem, et hac de causa tribui solet etiam voluntati, quemadmodum alibi loenti firmus agens de iudicio practico [349]. Quare beatus Thomas. *Providentia est in intellectu, sed praesupponit voluntatem finis. Nullus enim praecipit de agendis propter finem, nisi velit finem. Unde providentia praesupponit virtutes morales, per quas appetitus se habet ad bonum, ut dicitur in 6. Ethic. (loc. cit. ad 3.)*

Intertur secundo, tria spectare ad hanc dispositivam ordinationem providentiae quae Deo tribuitur. Primum quidem est ipsamet determinatio finis convenientis tum singulis rebus tum omnium rerum universitati. Cuiusmodi sit iste finis, patet ex praecedentibus [529, seqq.]. Tum vero ad eam spectat certa determinatio seu constitutio rerum, quae ad praedictum finem ordinantur, quoad numerum, seriem, et mutuum ipsarum connexionem. Tertium denique est opportuna praeparatio mediolorum seu adiumentorum quibus singulae res indigent ut eo fine potantur. Ratio horum omnium est, quia his tribus concipimus conflare rectam dispositionem ordinis quam prudens gubernator constituere debet in rebus quarum cura est ei commissa: quaeque propterea in summo Provisore maxime vigere debent.

Intertur denique, Providentiam divinam differre a divina gubernatione, sicut ordo in mente *conceptus et praefinitus* differt ab eiusdem ordinis *executione*. Quare Providentia divina est aeterna, gubernatio contra temporalis. Si vero quaeratur, quo pacto providentia differt ab *ideis archetypis* divinae mentis, rem ita declarat Angelicus: * In re creata, ait, duo possunt considerari, scilicet ipsa species eius absolute, et ordo eius ad finem; et utriusque forma praecessit in Deo. Forma ergo exemplaris rei secundum suam speciem absolute est idea: sed forma rei, secundum quod est ordinata in finem, est providentia. (Qq. Disp. Ver. q. 5. a. 1. ad 1.)

550. **Multiplex distinctio divinae voluntatis inspecto ordine suae providentiae.** — Ad divinae providentiae ordinem melius percipiendum non parum faciunt distinctiones quaedam a theologis adhibitae, quas propterea in hunc locum reservavimus.

I. Voluntas itaque divina quandoque dicitur *antece-*
dens, quandoque *consequens*. Prior est quam Deus habet ex sola sua bonitate, atque adeo in signo priori ad personales hominum circumstantias, h. e. ad praevisionem meritorum seu demeritorum. Alia vero, seu *voluntas consequens*, ea vocatur quam Deus habet quasi provocatus ab hominibus, praesupposita scilicet praesentia operum personalium. Ita Chrysostomus (*Ephes. Hom. 1. n. 2.*), Damascenus (*2. De Fide, c. 29.*); quibus concordat B. Thomas (*Summa th. 1. p. q. 19. a. 6. ad 1. coll. Qq. Disp. Ver. q. 23. a. 2., et 1. Dist. 46. q. 1. a. 1.*). Confer Card. Franzelin (*De Deo uno, th. XLVII.*).

II. Dividitur secundo divina voluntas in *efficacem* et *inefficacem*. Prior est qua Deus omnino vult aliquid fieri, quaeque ideo *per se* connexa est cum existentia rei volitae; altera vero, qua tametsi Deus non omnino velit rem fieri, ex se tamen desiderat ut fiat. Differt haec posterior voluntas a simplici *complaentia* divinae voluntatis in mere possibilibus, eo quod tendit aliquo modo, inefficaciter licet, in esse rei. Ea locum habet respectu eorum quorum executio dependet a creata libertate, quam Deus non vult impedire: ut videre licet in generali voluntate quam Deus habet salutis omnium, quippe quae non est sterilis quaedam complaentia, sed voluntas seria et actiosa mediolorum quibus aeterna salus obtineri queat.

III. Dividitur tertio in *absolutam* et *conditionatam*. Absoluta, ut ipsum nomen indicat, est qua Deus vult aliquid secundum se, non autem sub certa conditione: contra se habet voluntas conditionata, quae ideo sic nominatur. Hinc optime Platellius. *Voluntas, ait, qua Deus vult neminem perire, ut omnes servent mandata, est absoluta, non tamen efficax: et contra, voluntas dandi gloriam iustus, si perseverent, est conditionata et efficax, seu talis ut si purificetur*

conditio, ei illius securura sit datio gloriae. Unde hae divisiones non omnino coincidunt, licet saepe confundantur. (Synopsis, De Deo, n. 158.)

IV. Postremo divina voluntas alia *beneplaciti*, alia vero *signi* dici solet. Haec divisio analogica est. Prior enim est voluntas proprie eiusmodi, altera vero non nisi externum signum divinae voluntatis. Haec signa quinque externum, prout fert vulgatus versiculus: *Præcipit, aut prohibet, permittit, consultat, implet*; videlicet præceptum sui prohibito, permissio, consilium, operatio.

551. **Corollaria ducta ex declaratione præcedente.** Ex his plura colliguntur scitu plane necessaria.

Patet primo, voluntatem qua Deus in rerum molitione suam gloriam intendit, esse plane antecedentem, absolutam, et efficacem. Hoc autem intelligi debet de gloria divina *absolute* considerata, quatenus nimirum Deus absoluta et antecedente voluntate in hunc finem operatur, ut per communicationem bonorum quae creaturis elargitur perfectiones ipsius in eis splendescant [533], nec fieri possit aliquando ut contingat aliquid quo haec manifestatio non habeatur. Minime vero puto, hoc esse intelligendum de illo *determinato gradu et modo* divinae gloriae qui nunc existit. Haec siquidem voluntas non est undequaque absoluta et antecedens, sed ex parte conditionata et consequens. Nam ad divinam gloriam quae in praesenti ordine divinae providentiae elucet, pertinet etiam ea quae consequitur bonum vel malum usum liberi arbitrii creaturarum rationalium: haec vero spectat ad voluntatem Dei consequentem et conditionatam, ut mox dicemus.

Inferitur praeterea, non requiri ad ordinem divinae providentiae, ut res omnes et singulae quae hanc universitatem componunt, suo proprio et peculiari fine de facto potiantur, adeoque voluntatem divinam in hac parte minime debere esse efficacem. Et hoc praesertim patet in creaturis rationalibus, quippe quae ad beatitudinem ordinantur, ut ad coronam bonorum operum, quorum exercitium in earumdem libertate relinquuntur, Deo utique semper adiuvante. Quare Angelicus: * In qualibet ordinatione ad

finem, ait, est duo considerare, scilicet ipsum ordinem, et exitum vel eventum ordinis: non enim omnia quae ad finem ordinantur, finem consequuntur. Providentia ergo ordinem in finem respicit tantum: unde per Dei providentiam omnes ordinantur ad beatitudinem. „ (Qq. Disp. Ver. q. 6. a. 1.) Quo pacto vero contingere possit, ut tametsi res nonnullae a proprio fine de facto decendant, omnes tamen ad universalem finem totius universi collineent, paulo inferius expendemus, ubi praesertim de permissione malorum agendum erit.

Inferitur tertio, respectu punitionis impiorum nullam voluntatem absolute antecedentem, ne inefficacem quidem, in Deo admitti posse. Quod ut intelligatur, notare oportet discrimen, quo divina intentio se habet in praemio, et in poena retribuenda. Quod enim spectat praemium futurae beatitudinis, pro nostro intelligendi modo, triplex quasi actus distinguendus est divinae voluntatis. Primus est seria voluntas et desiderium, quod Deus habet ut creatura rationalis suo ultimo fine potiarur propter quem est creata, beatitudine scilicet. Haec est voluntas proprie antecedens, quae est *voluntas bonitatis Creatoris*, cuius effectus sunt media omnia quae Deus confert, etsi non efficacia, vere tamen sufficientia, ad hunc finem assequendum. Haec voluntas potest dici etiam absoluta, ut paulo ante notavimus cum Platellio, eaque deest omnino respectu damnationis; quia sic Deus vellet culpam propter poenam, non poenam propter culpam, quod profecto impium est de Deo cogitare. Secundus est actus voluntatis *conditionate efficax*, quo scilicet Deus decernit dare beatitudinem recte agentibus, ac damnare male agentes. Haec voluntas respectu praemii potest etiam dici *antecedens*, quia consequitur et coniuncta est essentialiter cum priori actu ante descripto: at omnino improprie diceretur antecedens respectu poenae, quia est omnino consequens ad eriminis patrationem, conditionatam licet. Bonus enim et sapiens legislator ideo praecise comminatur poenam, quia antecedente voluntate plane desiderat ut non incurratur. Tertius denique est actus quo Deus absolute et efficaciter decernit istis prae-

mium, illis vero poenam, ob praevisa scilicet eorumdem bona vel mala opera (1).

Colligitur denum, omnem voluntatem *signi* subaudire in Deo voluntatem *beneficentiae*: est siquidem ipsius signum. Id tamen non semper locum habet eodem modo. Nam *operatio* semper indicio est, adesse in Deo voluntatem eamque efficacem tum ipsius operationis, tum ipsius operati: Deus enim voluntate operatur. Contra, *permissio* denotat quidem, Deum reipsa velle, ut effectus *possit* existere, adeoque non efficaciter impediatur, minime vero indicio est, eiusmodi effectum a Deo approbari, ut videre licet in actu peccaminoso [498]. *Praeceptum* vero et *prohibitio* semper significant voluntatem efficacem ipsius obligationis quae in ipsa notatione praeccepti seu prohibitionis includitur. Significent praeterea voluntatem, saltem inefficacem, ipsius operationis vel omissionis, quae praecipitur seu prohibetur; ordinatio siquidem legisera procedit in sapiente legislatore ex intentione rei fiendae vel omittendae. Hoc postremum tamen intelligi debet *per se et regulariter loquendo*. Potest

(1) Haec dico supponendo, prout veritas habet, Deum serio et sincere velle, tametsi non efficaciter, omnium et singulorum hominum salutem. Talis enim voluntas ut eluceat, necesse est, non stat per Deum, quinam omnes et singuli salvari queant, ac procul dubio nemo dicit, me serio velle finem, si a meipso ponatur obstatulum quod assecutionem finis efficiat impossibilem. Nec refert quod Angelicus eiusmodi voluntatem Dei salvificam quandoque appellet *voluntatem*, prout loquitur (*Somma th.*, 1. p. q. 19. a. 6. ad 1.). Nempe hoc nomen *voluntas* dupliciter usurpari potest. Uno modo, ut significetur *mera complacentia* in aliquo bono, quae locum habet etiam in eo qui nihil vult efficere ex parte sua ut finis obtineatur. Eiusmodi voluntatem Deus habet etiam circa salutem reproborum, idque consequenter ad ipsorum reprobationem. Alio modo, ut significetur voluntas sincera quidem et actiosa, quantum est ex parte Dei, qua propterea confertur sufficientia medicum ad finem obtinendum, tametsi finis non obtineatur ex culpa creatae voluntatis. Porro hoc altero modo duntaxat B. Thomas nomen *voluntas* accipit, ut patet legenti. Ceterum haec res gravissimam attingit quaestionem theologiam de *praedestinatione*, ideoque ab ulteriori declaratione supersedere oportet.

enim quandoque evenire, ut Deus praecceptum det sine ulla intentione rei quae praecipitur, immo cum intentione omnino contraria, ut in praeccepto quod Abrahae imposuit sacrificandi filium: scilicet ad ostensionem obedientiae alieni vel alium finem consimilem. Id ipsum dicitur de *consilio*: semper enim denotat voluntatem divinam, quod res quae consuitur, melior sit prae suo opposito; non semper tamen, ut modo dictum est, procedit ex intentione quod res eiusmodi fiat.

THESIS XXVI.

Deus universa quae condidit, ineffabili Providentiae suae consilio sapientissime gubernat. Quaecumque propterea in hac rerum universitate contingunt, absolute et simpliciter loquendo, nec temere geruntur, nec fatali necessitate adstringuntur.

552. *Probatio I. partis.* — Tria sunt potissima argumenta in favorem divinae Providentiae.

I. Primum est *a priori*, ductum ex divina sapientia et bonitate. Paucis ita declaratur a Damasceno. "Natura bonus et sapiens est (Deus). Igitur quatenus est bonus, providet. Qui enim non providet, non est bonus: nam et homines et bestiae priorum foetum providentiam habent naturali quodam instinctu; et qui non providet, vituperari solet. Quatenus autem sapiens est, optime prospicit." (2. *De Fide*, c. 29.) Ceterum haec ratio potest sic ulterius expoliri. Ut enim paulo ante dictum est [549], provida boni gubernatoris cura tribus absolvitur, nimirum recta convenientis finis intentione, certa constitutione ac dispositione rerum ad finem ordinatarum, et opportuna adiumentorum elargitione qua res singulae ad praedictum finem, prout singulorum conditio et totius universitatis ordo exposcit, promoveantur. Atqui haec tria

Deo maxime attribuire oportet. Primum quidem. Sapientis enim est suum opus ad finem consentaneum dirigere: Deus autem est ipsa Sapientia. Alterum vero ex eadem divina sapientia manifeste elucet. Deus enim praesentem rerum combinationem quoad earumdem numerum, nexum associationis, ac successivam seriem scientia simplicis intelligentiae et media ab aeterno distinctissime praevidit; ex divina autem voluntate factum est, ut haec prae indefinitis aliis possibilibus existeret. Postremum denique praesertim elucet ex divina bonitate. * Cum enim, ait Angelicus, optimi sit optima producere, non convenit summae Dei bonitati, quod res productas ad perfectum non perducat. Ultima autem perfectio uniuscuiusque est in consecutione finis. Unde ad divinam bonitatem pertinet, ut sicut produxit res in esse, ita etiam eas ad finem perducat. (Summa th. 1. p. q. 103, a. 1.) Manifestum est autem, id nullo modo haberi, si res conditae mediis opportunis destituerentur pro assecutione finis necessariis.

II. Alterum argumentum existit *a posteriori*. Elsi enim ex imbecillitate mentis nostrae impares simus divinae Providentiae ordinem experimento perspicere in rebus *singulis* quae nobis obversantur, manifestissima tamen eiusdem Providentiae signa observatio suppeditat, si earumdem mutuum nexum et ordinem universae contemplerur.

Imprimis id patet aperte in *ordine physico*. * Videmus enim, arguit S. Thomas, in rebus naturalibus provenire quod melius est aut semper aut in pluribus: quod non contingeret, nisi per aliquam providentiam res naturales dirigerentur ad finem boni, quod est gubernare. Unde ipse ordo certus rerum manifeste demonstrat gubernationem mundi; sicut si quis intraret domum bene ordinatam, ex ipsa domus ordinatione ordinatoris rationem perpenderet. (Summa th. 1. p. q. 103, a. 1.) Confer quae diximus [393], ubi hoc argumentum late exposuimus et vindicavimus ad ipsam Dei existentiam comprobendam.

Id ipsum confirmat observatio in humanam societatem, inspecto scilicet *moralit ordinem* humanarum actionum. Quisque enim legem naturalem agnoscit, modisque pro-

penodum infinitis interius exteriusque urgetur ad eam opere complendam, ut ante etiam notavimus [397]. Adde peculiaria auxilia quae singillatim in unumquemque opportune conferuntur, ut quisque sibi conscius est, tametsi ea non nisi minimam partem agnoscamus, quamdiu mortalem hanc vitam vivimus. Postremo, ipsa humana libertas, atque infinita propensionum, ingeniorum, et graduum varietas quae in humano genere perspicitur, est manifestissimum indicium summae Dei providentiae. Qui enim fieri potest, ut, non obstante tanta varietate et quasi pugna, humanum consortium vel ad breve tempus perduret, nisi exquisita divinae gubernationis cura omnia apte temperentur? Nempe huc transferri potest argumentum quo ex constantia ordinis physici existentiam supremi Numinis demonstravimus [397]. *Si navigium, ait Chrysostomus, sine gubernante non persisteret, sed facile submergeretur, quomodo subsisteret mundus tantum temporis, gubernatore nemine?* (Hom. X. ad Populum Antiochenum, n. 2, 3.)

III. Accedit ultimo totius humani generis consensus in hanc veritatem. Id imprimis ostendit religio ipsa, ut quae in persuasionem divinae providentiae maxime innititur. Unde illud Augustini. *Si Dei providentia non praesidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum. (De utilitate credendi, c. 16.)* Certe quidem, si Deus res conditas fortunae reliquit, quorsum iuramenta, sacrificia ac vota, ad Deum effusae preces? Id etiam patet ex naturali instinctu, quo, ingruente aliqua calamitate, oculos, manus ac voces in coelum attollimus omnes et Deum sponte invocamus: quam spontaneam vocem Tertullianus perbelle vocavit *testimonium animae naturaliter christianae*. Denique ipsae blasphemiae impiorum hominum hanc veritatem testantur, quas profecto in Deum non evomerent, nisi persuasum haberent, nihil in hoc mundo contingere, nisi Deo volente aut permittente.

553. *Probatio II. partis.* — Refutamus hic genera duo impiorum qui directe in divinam Providentiam peccant, patronos scilicet casus fortuiti et fatalistas, quorum mentionem pluries iniecinus.

I. Et ad primum quidem quod attinet, aliquid dicitur casu aut fortuito accidere, non quasi effectus existat sine ulla causa, sed in ordine ad intellectum eumque ignorantem, et scilicet in eo negetur *praecognitio* effectus futuri. Saepenumero etiam id dici solet ad significandum effectum qui *praeter intentionem* causae eveniat, ut quod praeterente Petro lapis cadat eumque occidat, quia nec Petrus in hunc finem praeterivit, nec lapis ex sua natura ad hunc effectum occisionis ordinatus est. Patet igitur, id non habere locum, absolute et simpliciter loquendo, sed diminuta quadam ratione et respectu mentis vel causae cuius scientiae vel efficaciae non omnia subduntur. Tum enim bene contingere potest, ut effectus quispiam existat, qui tametsi praevius et intentus ab una causa, non tamen praevideatur vel intendatur ab alia, respectu cuius idcirco evadat fortuitus (1). Id porro de Deo minime dici potest. Quum enim sit prima et universalissima rerum omnium causa, cuius mentis intuitum nihil latere possit, quaecumque contingunt, nonnisi ipso sciente et ordinante evenire queunt. Hinc illud ab Augustino eleganter dictum. *Nihil fit visibiliter et sensibiliter, quod non de interiori invisibili, atque intelligibili aula summi Imperatoris aut iubetur aut permittatur, secundum ineffabilem iustitiam prae-*

(1) "Aliter est de causa universali et de causa particulari. Ordinem enim causae particularis aliquid potest exire, non autem ordinem causae universalis. Non enim subiacet aliquid ab ordine causae particularis, nisi per aliquam aliam causam particularem imponentem: sicut lignum impeditur a combustionem per actionem aquae. Unde cum omnes causae particulares concludantur sub universali causa, impossibile est, aliquid effectum ordinem causae universalis effugere. In quantum igitur aliquis effectus ordinem alicuius causae particularis effugit, dicitur esse casuale vel fortuitum respectu causae particularis: sed respectu causae universalis, a cuius ordine subtrahi non potest, dicitur esse provisum. Sicut et concursus duorum servorum, licet sit casualis in quantum ad eos; est tamen provisus a domino, qui eos scienter sic ad unum locum mittit, ut unus de alio nesciat." S. THOMAS (*Summa th. 1. p. q. 22. a. 2. ad 1.*)

miorum atque poenarum, gratiarum, et retributionum, in ista totius creaturae amplissima quadam immensaque republica. (3. *Trin. c. 4.*)

II. Quod vero aliam positionem spectat, de fato scilicet, adhibetur haec vox ad significandam seriem causarum et effectorum quae ex necessaria quadam praedestinatione sic invicem nectuntur, ut aliter habere non possit. Dicitur a *fando*, quasi praelocutio quadam seu decretum eorum quae fieri oportet. Quare, Seneca definiens (3. *Natur. Qg. c. 36.*), est *necessitas omnium rerum actionumque quem nulla vis rumpat*. Potest eiusmodi fatalis necessitas usurpari absolute et simpliciter, vel relative tantum et secundum quid. Hoc altero modo accepta, seclusa invidia vocis, sine errore rebus mundanis tribuitur, ut exponit S. Thomas (*Summa th. 1. p. q. 116.*). Tunc enim vel refertur dumtaxat ad effectus naturalium causarum, prout necessitate physica cum earumdem activitate nectuntur, vel coaretatur ad necessitatem ex suppositione vel consequentia, quae nullo modo perimit contingentiam, effectuum ac liberum voluntatis arbitrium, ut suo loco notavimus [482]. Sed primo modo vox *fati* si usurpetur, prout reipsa intelligitur ab his qui *fatalistae* propterea dicuntur, nedum catholicae fidei, sed evidenter naturalium manifeste adversatur. Etenim imprimis absurdissima est istiusmodi necessitas fatalis pro eo quantum Deus ipse ea adstringi fingitur; quandoquidem hoc perinde valeret ac affirmare vel Deum non esse omnipotentem, vel saltem minime quidpiam extra se libere operari. Quod si haec necessitas refertur ad causas secundas tantum, duplicem alium errorem sic etiam continet divinae Providentiae valde contrarium. Primus, quia sic perimitur omnis libertas actionum in creaturis rationalibus seu intellectualibus. Id autem divinae Providentiae contradicit, ad quam oppido pertinet, ut res singulas regat modo accommodato ad naturam uniuscuiusque [360, obiect. IV]. Alius error est, quia etsi divina Providentia profecto exigit, ut legum physicarum constantiam tueatur, ei tamen nihil admodum obest, quin oppido congruit, ut exceptiones in eiusmodi

legibus nonnunquam habeantur, ut suo loco plenius expendemus agentes de miraculis. Nec valet recursus ad necessitatem materiae. Etenim, etiam supposita eius creatione, quam demonstravimus esse Deo liberam [503], ea suapte natura est indifferens ad infinitas propemodum et contrarias etiam formas motusque. Quod propterea in praesentem huius universalitatis ordinem ea sit disposita, non ex ipsius natura, sed aliunde repetere oportet, ex libertate scilicet agentis intrinseci. Praeterea hic recursus ad materiae exigentiam inepte adhibetur respectu actionum voluntatis; sunt quippe spirituales et a materia independentes.

554. *Corollarium.* — **Proprietates quatuor divinae Providentiae.** — Ex dictis quatuor eliciuntur quasi proprietates seu attributa quibus divinae Providentiae ordinatio insignitur. Est enim *universalis, suavis, certa* seu *infrustrabilis, atque immediata.*

I. Est imprimis universalissima, quatenus ad res omnes se protendit, etiam consideratas in individuo, utcumque viles et minimae videantur. Qua in re deistae recentiores maxime falluntur, qui divina ex rebus humanis dimittentes, quasi alienum a Deo putant, ut de minimis occupetur. Ratio autem manifesta est. Tantum enim divina Providentia se protendit, quantum eius causalitas; haec porro tam late patet quantum ipsa ratio entis participat.

II. Suavitas divinae Providentiae spectatur in eo quod, cum Deus sit ipsius naturae auctor et institutor, omnia dirigit secundum uniuscuiusque naturae inclinationem, adeoque non violenter, sed sua sponte unumquodque ad finem vadit quo ex impulsu Dei dirigitur. Apposite dicitur Thomas. "Ordo divinae sapientiae dupliciter potest considerari. Uno modo in generali, secundum quod progreditur a causa gubernativa totius. Alio modo in speciali, secundum quod progreditur a causa particulari, quae est executiva divinae gubernationis. Primo igitur modo nihil contranitur ordini divinae gubernationis; quod ex duobus patet. Primo quidem ex hoc quod ordo divinae

gubernationis totaliter in bonum tendit; et unaquaeque res in sua operatione et conatu non tendit nisi ad bonum... Alio modo apparet idem ex hoc quod... omnis inclinatio alicuius rei vel naturalis vel voluntaria, nihil est aliud, quam quaedam impressio a primo movente, sicut inclinatio sagittae ad signum determinatum nihil aliud est quam quaedam impressio a sagittante. Unde omnia quae aguntur vel naturaliter vel voluntarie, quasi propria sponte perveniunt ad id ad quod divinitus ordinantur. Et ideo dicitur Deus *omnia disponere suaviter.* (Summa th. 1. p. q. 103. a. 8.) Confer quae in Philosophia Prima diximus [662].

III. Certitudo seu infrustrabilitas divinae Providentiae in eo cernitur, quod omnia omnino, eaque dumtaxat contingunt, quae et eo tantum modo quo Deus fore ab aeterno praefinit. Nullam vero iacturam liberorum actuum inde haberi, ex his quae in praecedente Disputatione de divina scientia et voluntate loquuti fuimus, satis patet. Vide praesertim quae dicta sunt [489].

IV. Dicitur denique Deus *immediate* providere rebus omnibus, h. e. per se ipsum, non adhibendo quasi consortium alterius causae. Hoc autem intelligendum est, si sermo sit de ipso ordine divinae Providentiae, prout est ab aeterno constitutus et praefinitus in ipsa divina mente. In hoc enim non intervenit nisi ipsa divina sapientia et voluntas; unde illud Apostoli, *Quis consiliarius eius fuit?* Rom. XI. 34. Si contra spectetur huius ordinis exequutio quae gubernatio audit, sunt aliqua media, ait S. Thomas, divinae providentiae; quia inferiora gubernat per superiora, non propter defectum suae virtutis, sed propter abundantiam suae bonitatis, ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet. (Summa th. 1. p. q. 22. a. 3.)

Solvantur difficultates.

555. **Obiectio I.** — Prudentia, utpote perfectio mixta, Deo competere non potest. Atqui providentia est pars

prudentiali. Ergo Deo tribui non potest cum proprietate sermonis.

Respondeo. *Dist. mai.* Si spectetur in omnibus suis actibus quos in creaturis exeret, *conc.*; si spectetur quoad praecipuum actum ipsius, prout scilicet est praeceptiva de agendis, *neg. Conc. min. Dist. pariter consequens.*

* Dicendum, ait S. Thomas, quod secundum Philosophum 6. Ethic. c. 9, 10., *prudentialis proprie est praeceptiva eorum de quibus eubilia recte consiliatur et synesis recte iudicat.* Unde licet consilium non competat Deo, secundum quod consilium est inquisitio de rebus dubiis; tamen praecipere de ordinandis in finem, quorum rectam rationem habet, competit Deo, secundum illud. Ps. 168. *Praeceptum posuit et non praeteribit.* Et secundum hoc competit Deo ratio prudentiali et providentiali. Quamvis etiam dici possit, quod ipsa ratio rerum agendarum consilium in Deo dicitur, non propter inquisitionem, sed propter certitudinem cognitionis ad quam consiliantes inquirendo perveniunt. Unde dicitur Ephes. I. 11., *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.* (Summa th. 1. p. q. 22. a. 1. ad 1.)

Obiectio II. — Quae ex necessitate eveniunt, providentiali non subiacent, ut quae versatur circa contingencia. Atqui multa in rebus ex necessitate contingunt. Ergo ea providentiali non subduntur.

Respondeo. *Dist. mai.* Si ea necessitas sit absoluta, *conc.*; si ea necessitas non sit absoluta, sed naturalis tantum, *subdist.*; non subiacent providentiali humanae, *conc.*; non subiacent providentiali institutoris naturae, *neg. Contradist. pariter min. et consequ.*

Quaecumque praeter Deum existunt, absolute si spectentur, sunt contingencia sive quoad existentiam sive etiam quoad mutuum ordinem quo ad invicem consociantur. Supposita etiam creatione, ac primaeva rerum creaturarum dispositione in praesentem universitatis ordinem, opus est assiduo influxu Dei provisoris, tum ne in nihilum recidant, tum ut proprias conaturalis actiones exercere possint, quod paulo inferius demonstrabimus. Elsi

proinde quae ex naturae determinatione necessario conveniunt, minime subdantur providentiali nostrae, subiacent tamen providentiali Auctoris ipsius naturae. Quare Angelicus. * Homo, ait, non est institutor naturae sed utitur in operibus artis et virtutis ad suum usum rebus naturalibus. Unde providentiali humana non se extendit ad necessaria, quae ex natura conveniunt, ad quae tamen se extendit providentiali Dei, qui est auctor naturae. (Summa th. 1. c. a. 2. ad 3.) Et alibi. * Necessitas naturalis inhaerens rebus quae determinantur ad unum, est impressio quaedam Dei dirigentis ad finem; sicut necessitas quae sagitta agitur, ut ad certum signum tendat, est impressio sagittantis et non sagittae. Sed in hoc differt, quia id quod a Deo creaturae recipiunt, est earum natura; quod autem ad hominem rebus naturalibus imprimitur praeter earum naturam, ad violentiam pertinet. *Unde sicut necessitas violentiae in motu sagittae demonstrat sagittantis directionem; ita necessitas naturalis creaburarum demonstrat divinae providentiali gubernationem.* (loc. cit. q. 103. a. 1. ad 3.)

Instabis. In natura rerum plura adsunt vilia admodum et exigua. Atqui videtur Deo indecorum, ut de rebus istiusmodi occupetur.

Respondeo. *Transmissa maiore, neg. min.* Non uno ex capite haec ratiocinatio deficit, qua tamen nonnulli moti fuere qui ad excellentium tantum rerum divinam Providentiam coartarunt. Imprimis enim, nihil plane dici potest excellens ad Deum comparate, cum infinito intervallo creaturae omnes ab eo distent. Quare si obiecta ratiocinatio valeret, Deo nullius cura tribui posset. Praeterea, res naturales quas dicimus minimas et vilissimas, si ipsarum natura bene consideretur, sapientiam exquisitam ostendunt Dei ordinatoris, et ad totius universi pulchritudinem et ipsae pertinent. Denique, in ipsa humana providentiali, eius regimen eo praestantius censetur, quo ad plura, licet exigua, protendantur; quod si plerumque cura rerum minoris momenti ei disconvenit, hoc idcirco fit, quia a graviorum cura retardaretur, quod certe in Deo minime locum habet.

Obiectio III. — Homo dicitur esse relictus in manu consilii sui. Ergo divina Providentia non indiget.

Respondeo. *Dist. antec.* Quatenus excludatur homo ab ordine divinae Providentiae, *neg.*; ut significetur, eum a Deo sic dirigi, ut sarta maneat libertas arbitrii qua pollet, *conc.* Sub data distinctione, *neg. conseq.*

Tantum abest, ut creaturae rationales ob libertatem arbitrii, cuius gratia dicuntur sibi relictæ, a divina Providentia excludantur, quin ob hanc ipsam causam multo specialior ea sit oportet relate ad eas. Imprimis enim, ut in demonstratione diximus, nisi eiusmodi cura existeret, humanum consortium ne momento quidem perduraret, ex infinita scilicet confusione quæ ex diverso modo agendi singulorum oriretur. Præterea, creaturae rationales libere agentes constituunt ordinem moralem, ad quem physicus ordo ut ad finem ordinatur: per eas etiam, ut dictum est [532], ad complementum adducitur divina gloria propter quam Deus omnia operatur. Sunt itaque pars præcipua totius ordinis universi, adeoque præcipuam etiam curam exigunt in supremo totius mundi Gubernatore. Postremo, creaturae rationales ex bono vel malo usu liberi arbitrii, ipsæ dumtaxat in assentione finis felices esse possunt, ex eiusque amissione miserimæ evadunt: cetera siquidem nec finem cognoscunt, nec eo perfruuntur obleno, nec dolent amisso. Quum itaque Deus præcipue ex amore beatitudinis suæ communicandæ ad extra operetur [532], præcipuam etiam curam impendit in creaturas rationales quæ solæ tanti boni participes esse queunt. Lege S. Thomam (3. *Cont. Gent.* c. 90.).

Obiectio IV. — Si omnia divinae Providentiæ ordinationi, et quidem infrustrabili subsunt, iniuriosus foret Deo qui in rebus gerendis propria industria uteretur vel aliorum hominum auxilia quaereret. Atqui et converso ipsa experientia edocentur, sua cuique negotia succedere, prout propria aliorumque industria magis minusve utitur.

Respondeo. *Neg. maior.* Ut paulo ante diximus [554], divinae Providentiæ executio minime excludit consortium causarum secundarum, quin ad eius suavitatem id maxime

pertinet. Eius propterea ordinatio non tollit curam hominum et vigilantiam, sed exquiri moderaturque. * Expectare autem, ait Angelicus, a Deo subsidium in quibus se aliquis potest per propriam actionem iuvare, prætermissa propria actione, est insipientis et Deum tentantis: hoc enim ad divinam bonitatem pertinet, ut rebus provideat non immediate omnia faciendo, sed alia movendo ad proprias actiones, ut supra dictum est. Non est igitur expectandum a Deo, ut, omni actione propria qua sibi aliquis subvenire potest prætermissa, Deus ei subveniat; hoc enim divinae ordinationi repugnat et bonitati ipsius. (3. *Cont. Gent.* c. 135.) Observandum est præterea, plerumque quidem, ex ratione modo allata, contingere ut negotiorum eventus respondeat industriae adhibitæ; haud raro tamen etiam evenire contrarium. Deo enim sic disponente, pluries videmus negotia difficillima per media valde exigua et insufficientia ad felicem exitum perducì: contra vero, totius humanæ calliditatis artes, ac nisis omnes incassum ruerè, et quandoque etiam in eventum plane contrarium converteri. Id nempe manifesto indicio est, supra humanam altioreni existere providentiam cui prior subest omnino. Quare S. Thomas loc. cit. sic pergit. * Sed quia, licet in nobis sit agere, non tamen in nobis est, ut actiones nostræ debitum finem consequantur, propter impedimenta quæ possunt contingere, hoc dispositioni divinae subiacet quid cuique ex actione sua proveniat. Præcipit ergo Dominus, nos non debere esse sollicitos de eo quod ad nos non pertinet, scilicet de eventibus nostrarum actionum; non autem prohibuit, nos esse sollicitos de eo quod ad nos pertinet, scilicet de nostro opere.

SECTIO VI.

Quo pacto cum divina Providentia concilientur mala quae in hoc mundo cernuntur.

556. Argumentum. — E difficultatibus quae adversus ordinem divinae Providentiae fiunt, potissima et antiquissima ea est, quam infinita propemodum mala quibus undique circumdamur, in nullius mentem non iniiciunt, quaeque in primo aspectu difficile admodum videtur, quo pacto cum divina bonitate et sapientia concilientur. Quamobrem, attenda argumenti gravitate, seorsum ac speciali sectione eam examinandam assumimus, atque ita complebimus quae de causa mali generatim in Philosophia Prima disputavimus [494, seqq.]. Sciendum est igitur, duo esse malorum genera quae in hoc mundo cernuntur. Alia sunt physica, seu mala naturae, quibus res privantur bono requisito ad earumdem naturae integritatem, ut maxime videre licet in ipsarum corruptione. In his vero praecipue considerare oportet, ea, ad homines quod attinet, ita indifferenter et promiscue distributa esse, ut, plerumque saltem, iis maxime subiciantur quos ob virtutis amorem felices potius esse oporteret, dum contra plerumque etiam accidere videmus, ut homines pessimi et scelestissimi oppositis bonis abundant. Alterum malorum genus complectitur cuiusque generis facinora, quae moralem vitam deturpant, quaeque propriam sedem habent in libera actione inordinatae voluntatis, et in causa sunt, cur innumerabilis multitudo creaturarum rationalium ab eo fine perpetuo desciscat, ob quem a Deo conditae fuere, beatitudine scilicet. Queritur igitur, quo pacto fieri queat res huiusmodi, non obstante sapientissima et omnipotentissima bonitate Dei gubernatoris.

557. Hypothesis Manichaeorum. — Plures huius difficultatis pondere quasi oppressi, duo statuerunt rerum principia, alterum bonorum, alterum malorum, ut huius distinctionis beneficio rationem redderent boni malique quae in mundo sunt. Haec bina principia statuuntur ambo infecta, alterum summe bonum, alterum summe malum: a priori derivantur omnia bona, lux, et spiritus, a posteriori autem mala quaecumque, tenebrae, materies. Huius erroris initia reperiuntur in dualismo Persarum, ex quibus in omnes fere Gnosticorum sectas primo et secundo Ecclesiae seculo derivatus, tandem seculo tertio a Manete seu Manichaeo expolitus propriam formam et proprium nomen Manichaeismi accepit (1). Eius origo debetur tum vitiatæ traditioni malorum spirituum et peccati originalis, tum intelligentiæ defectui. Ut enim egregie notavit Angelicus: " Qui... posuerunt duo prima principia, unum bonum, et alterum malum, ex eadem radice in hunc errorem inciderunt, ex qua et aliae extraneae positiones antiquorum ortum habuerunt: quia scilicet non consideraverunt causam universalem totius entis, sed particulares tantum causas particularium effectuum. Propter hoc enim, si aliquid invenerit esse nocivum alicui rei per virtutem suae naturae, aestimaverunt naturam illius rei esse malam: puta, si quis dicat naturam ignis esse malam, quia combussit domum alicuius pauperis. Similiter etiam qui invenerunt duorum particularium effectuum contrariorum duas causas particulares contrarias, nesciverunt reducere causas particulares contrarias in causam universalem communem; et ideo usque ad prima principia contrarietatem in causis esse iudicaverunt. " (Summa th. 1. p. q. 49. a. 3.) Quam sapienter haec dicta sint a Doctore Angelico, sequens thesis manifestabit.

(1) Huius etiam commenti patronos aetas nostra invenit, Petrus Bayle minime iniiciatur, Manichaeorum hypothesis a priori absurdam ostendi posse: addit tamen eam esse probatam dignam, si a posteriori consideretur. Quasi scilicet ideam demonstrat quae verum simul et falsum!